mouebat, et qui uident caeci fiant. Dixit eis ihs, si caeci essetis non
haberetis peccatum; cum sit caecitas ipsa peccatum, si caeci essetis. id est
si uos caecos aduerteretis, si uos caecos diceretis. et ad medicum curre-
retis, si ergo ita caeci essetis non haberetis peccatum, quia ego
ueni auferre peccatum; Nunc uero dicitis quia uidemus pec-
catum uestrum manet; Quare? quia dicendo uidemus medicum
non quaeritis in caecitate uestra remanetis, Hoc est ergo quod
paulo ante non intellegebamus, quod ait, ego ueni ut qui non ui-
dent uideant, quid est qui non uident uideant? qui se non uidere con-
fitentur et medicum quaerunt ut uideant. Et qui uident caeci fiant,
Quid est qui uident caeci fiant? qui se putant uidere et medicum non
quaerunt in sua caecitate permaneant; Ergo istam discretionem
uocauit iudicium, cum ait in iudicium ueni in hunc mundum, quo
discernit causam credentium et confitentium a superbis se uidere
putantibus; et ideo grauius caecantur tamquam dixerit ei pec-
cator confitens et medicum quaerens; Iudica me deus et dis-
cerne causam meam de gente non sancta. Illorum scilicet qui di-
cunt uidemus et eorum peccatum manet; Non autem illud iudi-
cium iam intulit mundo quo de uiuis et mortuis in fine saecu-
li iudicabit, secundum hoc enim dixerat, ego non iudico quem-
quam, quoniam prius uenit non ut iudicet mundum, sed ut sal-
uetur mundus per ipsum

EXPLICIT XLI INCIPIT XLII

HABEO QUOD SCRIPTUM EST. AMEN AMEN DICO
VOBIS QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE
OVIUM SED ASCENDIT ALIUNDE ILLE FUR EST
ET LATRO. USQUE AD ID QUOD AIT, EGO VENI UT VITAM
HABEANT ET HABUNDANTIUS HABEANT

DE ILLUMINATO ILLO QUI
natus est caecus sermo ad iudaeos domini
exortus est, huic itaque lectioni hodi-
ernam esse contextam scire debuit.

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0167